

026

024

030

020

035

015

075

125

Ende

Anfang

11

Consederunt etiam eidem in mensa caelestis alimoniae, Luc. 22. v. 14. Vesperi autem facto discubuit, et XII apostoli cum eo. Consedebunt etiam in tribunali extremi judicii, Matth. 19. 18. Cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos judices etc. Et in sessione quietis aeternae consedebunt, Luc. 22. v. 29, 30. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam, in regno meo. Tunc etiam ipsis sedentibus transiens ministrabit illis, Luc. XII. v. 37. Sicut ergo apostoli sunt sodales Christi, ita sunt pastores nostri, qui nobis promissi sunt. Jer. 3. v. 15. Dabo vobis, inquit, pastores juxta cor meum, qui pascent vos scientia et doctrina. Ubi glossa intelligit apostolos et apostolicos viros, quorum unus et praecipuus fuit ille, cui ter dictum fuit. Joh. ult. pasce oves meas. Greges vero sodalium Christi et pastorum nostrorum sunt turmae fidelium, qui per apostolos ad pascua fidei et sacramentorum sunt ducti, ut pascerentur exemplis, doctrinis, et corporalibus nutrimentis.

Dicat ergo verus et virtuosus peregrinus: Evagari incipiam post greges sodalium Christi, quia indignum judico, me inter greges apostolorum incedere, sciens me ovem morbidam, ideo saltim liceat mihi post gregem sodalium ejus pergere. Tali enim humili sui recognitione redditur desiderium peregrinandi ordinatum, cum quis morbos suos cognoscit, nec sanis et sanctis se comparat, sed humiliter post greges sodalium Christi ambulare desiderat.

Quantum ad tertium, quod necessaria sit peregrinandi facultas, notandum, quod licet quis habeat praefata duo, scilicet propositum peregrinandi, et humile desiderium inchoandi, si deest facultas peregrinandi non poterit peregrinus fieri. Quo quaeso ibit ligatus? Quo ambulabit captivus? Necesse est ergo, ut desiderandi evagari post greges sodalium Christi dicatur ab eo, cui subest, egressere. In quo verbo datur licentia et facultas peregrinandi. Multi enim servidi religiosi et devoti utriusque sexus conjugati desiderium ardens habent videre clarissimam civitatem Ierusalem; sed interim quod non dicitur tali: Egressere, cogitur manere. Multis enim rationabiliter et utiliter non indulgetur egressio, etiam ad loca sancta,

